

actionibus superius curriculum consumsisset, in iisdem cum ad metam jam ventum esset, desinere & vitam præclare actam beatè claudere.

Factus tandem est voti sui compos, anni superioris 16. Martij, circa secundam pomeridianam, quæ beatissima Nostro fuit horula, qua ritè defunctis omnibus militiæ suæ stipendiis, consummato cursu, decertato bono certamine, fideq; servatâ, animam suam jam pertesam mundi, pertesam curarum, pertesam vanitatum, pertesam erumnarum, animam assiduis suspiriis liberationem expectantem, animam cœlestia prægustantem gaudia, animam Christum Salvatorem cernentem, placidè inter sanctas pientissimæ uxoris & aliorum preces Deo Patri, Filio, Spiritui Sancto, suo Creatori, Redemptori, Sanctificatori reddidit.

Ita fulgentissimum sidus, postquam duorum & quinquaginta ferè annorum periodum emensum erat, nobis occidit: nobis, inquam, qui diutissimè virtute ejus & lumine in Ecclesia & Academia frui in votis habebamus: nobis, qui salutari ejus operâ & consilio hoc miserabiliterum statu vel maximè indignissemus: nobis, qui tot bonorum, quæ cadente illò unà ceciderunt, jacturam meritò hæctenus deploravimus. At non sibi occidit. Tectæ quidem sunt corporis exuviæ communis matris operimento; at anima in cœlestem evolavit patriam, è mœroribus ad gaudia, è turbulentissimis jactationib⁹ ad exoptatissimum portum, vitam jam agens inter Sanctos Angelos & cœlites beatam, vitam securam, vitam tranquillam, vitam mortis ignaram, vitam tristitiæ nesciam, & expectat diē illum, quo DEUS demortuum corpus conforme redditurus est glorioso corpori filii sui, secundum potentiam, qua sibi subicere potest omnia, cui uti felicitatem hanc, ad quam

nos